

Quum enim nobis fatis superque constet, quantum tuas, tuorumque laudes, Tu horreas, invisum profecto me redderem Tibi, si in Operis fronte facerem, ut primo intuitu invenires, quæ potius ad libri tenderent ad versionem, quam commendationem. Quod sane contra regulas esset Rhetorum, quibus docemur, maxime benevolentiam demerendam esse illorum, qui legunt, & præcipue illorum, qui legunt, ut protegant, atque defendant. Nec res bene cederet unquam illis, qui placere potius cupiunt, quando offerunt munera, quam vel tædio, vel molestia, vel saltem mærore, afficere illos, quos urbanitate magis, amore, ac veneratione, prosequuntur. Res ergo omnino esset extra aleam Tecum agere, ut fere fit cum cæteris; ac proinde aliam ingredi viam præstaret mihi, ut animi tui sententiam obtinerem.

Attamen quia hæc ipsa est, sive illorum, qui scribunt, & opera sua aliis dicant, sive illorum, quibus eadem nuncupantur, generalis quidem & ab omnibus recepta consuetudo; iccirco Te hoc primo loco rogamus, *Cardinalis amplissime*, ut patienter feras laudes, non quas Tibi damus, sed quas reddimus; & quidem reddimus, quia Tu illas vel nativitate accepisti, vel obtinuisti moribus, laboribus, ac operibus æque tuis. Injustum quippe putare debes, quod tanta sit Tuæ modestiæ vis, ut veritati inferat detrimentum; ac omnino a Te alienum credere pergas, ut humilitas tua in Te sit dedecoris, in aliis autem causa sit injustitiæ. Si enim virtutes mutuo sibi tradunt manus, nequit profecto virtus esse, vel dici illa, quæ virtutes alias non amplectitur, immo potius rejicit, atque pessundat.

Quæ quum ita sint, fidenter quidem asserere non hæsito, Gentem tuam in Neapolitano Regno sub nomine Filiorum Rahonis, unde *Firrao*, seculo duodecimo a Nativitate Christi, apparuisse. Raho autem fuit Basilii Imperatoris strenuus Dux, qui inferiores Regni provincias sub Constantinopolitani Imperii fide retinens, eas a Nortmannorum incursionibus defendebat. Hinc posterioribus seculis claruerunt Rugerius, aliique dicti de filiis Rahonis,